
Nazionale
Firenze


ORATIO
ENTII










OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Palat.
Ex Libris Ioannis Nencini
1874

Orat: go.

Aurelii episcopi Martoranensis oratio in funere Laurētii Medice Neapoli habita

SIue Augustissimo cōspectui tuo Magnanime Calabrum dux & amplitudini concionis huius quam paratam ad audiendū uideo: siue claritati hominis quem mortalibus assumptum hodierno funere prosequimur: oratione merita prospicii uoluisset. Alterius profecto doctrine & excellētioris ingenii fuerat eligendus orator: qui sua dicendi auctoritate ac uehementia: primum tante Maiestati tue satisfaceret. deinde audientiū animos: quo mēstissimus hic casus expostulat: modo ad gemitus & lachrymas induceret. modo inductos eosdem probabilibus argumentis consolari & ad leniores affectus reuocar̄ sciret: Tum Florētie urbis eximia preconia Illustresq₃ res gestas: tum domus medice decus ac gloriam: deniq₃ generosi Laurentii fulgentissimas admirabilesq₃ uirtutes apposite commemorare posset. Verum quomodo accidisse dicam? non penuria eloquentium: quibus hec urbs felicissima Neapolis abundat: non negligentia aut improuida optione: sola ut reor temporis angustia mihi potissimum hec prouintia reposita est: tanquam minorem iacturam subituro: si nondum oratoris magnam celebritatem adeptus: prope extempore dicendo: aliquam tamen ex hac honesta audacia commendationem emererer: Sit utcunq₃: tibi principi optimo ita iubenti parendum fuit: quod principi placet: legem esse constat. degustabo igitur ac leuiter uelut apis ꝑ florea rura fugienti assimilis: tum Florentie: tum domus

medice: tum Laurentii laudes: quasi fastigia quedam ore sũmotenus attingam: maiorum scilicet rerum uberioribus campis ad diligentiores historicos destinatis: Florentia sicuti ex idoneis auctoribus colligi licet: fluentia prius appellata est. Idq; auspicatissimum militaris uirtutis nomen de Syllanis castris fluenti arno appositis impetrauit: Quom enim Lucii sylle uictor exercitus late euagaretur: a Senatu Populoq; Romano agrum: in quo consisteret emeruit: utpote laborib⁹ suis illud premium: & unde toti Ethrurie ex ipso situ frenum quodammodo iugumq; impos tum putaretur: Satis ergo uetus urbs Florentia iudicanda est. Siquidem post Romam sexcentis sexagita septem annis: ab hinc uero mille quingentis septuaginta: cõdita fuit. que iampridem pre ceteris Ethrurie gentibus tam militie quam pacis gloria florere cepit: unde permutatis litteris: ex merito suo: Florẽtia pro fluentia toto orbe tenuit ob excellentiam appellari: cuius noui nominis origo in Charolum magnum a non obscuris quidem testibus asseritur: Ille etiam pulcherrima que hodie gestant liliorum insignia Florentie condonauit. Astrologi qui superiora corpora in inferioribus maximam uim habere disputant: sexte assurgentis Arietis parti: que inclyta domus est ac facies magnifici Martis. Florẽtie Horoscopon assignant Ideo mirari non oportet: si toties ab intestinis atq; externis certaminibus uexata: semper incolumis: suum decus ac pristinum robur conseruat. neque Totile potentissimi Ghotorum Regis arma illam eruere: neque duo in

cendia paruo temporis spacio: ab hinc fere trecētos quadraginta annos consumere eualuerunt: tutele Martis ātea nūc autem maiori numini idest diui Ioannis custodie consecratam. Longum esset repetere per quos gradus ea ciuitas paulatim acreuerit: quot preclara facinora: & quibus queq; temporibus ediderit: ut partim ui: partim consilio: in hec felicia quibus insistit culminis incrementa conscenderit. traductis ad se Fesulanis ex quorum ruina plurimū adoleuit. subacta Pistorio: quam urbem frequens opinio est: primam extitisse: que in potestatem Florentine libertatis peruenerit. Deuicti emuli Pisani: terra mariq; olim memorabiles: usque ad Nestorem primordia sue urbis excidiumq; Troianum non falsa iactantes. Expugnati ueteres Arretini uel ante urbem Romam ex Archadia in Italiam profecti. Et alii complures hodie sunt ueterum monumentis illustrati. qui reipublice illius Florentissimis institutis obtemperant. nam ut inquit Crispus semper Imperium a minus bono ad optimum quenq; trāsfertur. hisdem quod artibus retineri solet: quibus initio partum est. que homines arant nauigant hedificant uirtuti omnia parent. possum hoc loco uiros bellicis artibus institutos: prestantissimos duces ac milites ex ea urbe multos commemorare: Mannus donatus in bello quod contra Pisas gestum est: tria milia fortissimorum ut uocant Anglorum qui in subsidium Pisanis ueniebant: cum eorum duce Ioanne Auguto ad id tempus indomiti nominis: ipse multo pauciore milite superauit. qua uictoria prostrati Pisano

rum animi: non multopost urbem Florẽtino iuri dedide-runt. Arrogerius folcus Rhodiensiũ classi prefectus: decem & octo trophea ex uariis hostibus deuictis relata: uictrici Rhodo destinauit. Bonaguisius pressa. Florentine legionis Tribunus: cum Othone Cesare in Asiã profectus: expugnatione urbis. Damiate: primus in menia conscendit: primus in hostili pinnaculo felicia Florentie insignia: crucem candido uexillo rubicantem constituit. primus in alienam urbem hostium armatorum refertissimam more Alexandri ex altissimo muro se deiecit. quem animum ceteri omnes partim pudore: partim audacia imitati: Damiatam alioqui inexpugnabilem illo impetu ceperunt. Nannus stroccius pro Marchione Estensi Octolingũ oppidũ expugnaturus: dũ in auxilium Venetis properat: ꝙ olim ad cannas Paulo Emilio accidit. congredi potentiori hoste coactus: quom se fuga preripere posset. o inclytũ pectus: recusauit. & fortissime dimicans multa tamẽ hostiũ strage non inulctus expirauit. Ramundus Manellus Venetorum classi contra ligusticam pugnanti cum quattuor triremibus auxilio missus: imperatoriã Genuensiũ nauim occupauit: unde insperata Venetis reddita protinus est uictoria. Philippus Spamus pro Sigismundo pannonico germanoꝝ Cesare quo ad uixit exercituũ ductor semp iuict⁹: aduersus imanes Turcas mouẽs trib⁹ & uigiti magnis preliis illos supauit: atq̧ intra ꝓprias sedes reiectos torpescere coegit: Boemiã heresim dissipauit. tumultuãtẽ Italiã suis armis paccatã reddidit. Bet⁹ biffolus & Guido dascia

nus: quom pro Bononia obsessa milites starent. a duobus ingentibus gallis i eo periculi genere clarissimis ad singulare certamen omnes italos prouocantibus pugnã nõ detractarũt: quin utroq; ispectante exercitu qualẽ Coruin⁹ & Torquat⁹ gloriã retulerũt. tãto maiorẽ quãto gloriosi⁹ est: deuictos hostes equis & armis spoliatos: eorũ duci Gebennico ita rogãti uiuos cõcessisse q̃ occidisse. Habet ꝓfecto habet. hac semper habuit Florẽtina ciuitas: suos Sciones: ac suos Horatios: quos si homines enumerare cõtenderim. Vesperus occiduo clauserit ãte diẽ. Tametsi ea respublica prudentissima: ob insitã plerũq; magnis igeniis dominandi cupiditatem: parcius ex suis quempiam exercitui preficere consueuit: quom in multis experimentis: presertim eo bello: quo Farinata sapientissimus ciuis rempublicam suam de manibus impiissimorum ciuium liberauit plane intellexit: si ducibus suis uti pergeret: non sine tyrãnidis periculo id futurum: itaq; externos libentius adhibet Quoties tamen ad domesticas uires confugere placuit. conpertum est: ex illa patria milites ac duces prodire prestantissimos. Mirum est profecto mirum: qualia & quante indolis ingenia: ille ether: illa regio procreat ac profert. licet aspicere indigenas. cuicunq; rerum muneri se applicauerint. ꝓmptos: uersatiles: paratos: immo excellentes esse. Nolo diuersa aut remotiora consectari: quom ingruentibus in Italiam barbaris: litterarum eruditio iam multis seculis sopita penitusque extincta uideretur: superioribus annis Franciscus Petrarcha: & Dantes florentini poete:

ueluti longo post liminio primi pierias domos aperuerũt & quasi ab inferis ad superos lumẽ hoc euocauere. Et picturam tempestate eadem iottus cuilibet apelli conferendus animauit. & Donatellus Heracleonti zeusi equiperandus. uiuos duxit de marmore uultus. & Claudianum poetam Florentinum memorant: & Accurtium in legum interpretes facile principem: Florentia dedit: & Boccatiũ certaldum eadem patria sibi uendicat. Poggium quis nesciat ob singularem doctrinam dicendique leporem ubiq; cognitum: qui deperditum Quintilianum in lucem restituit: qui Dionysium siculum e greco uertit: qui Panegyricas orationes & alia egregie conscripsit En tibi ex eodẽ loco ueluti Plato alter Archiepiscopus Antonius ingenti diuinarum sentẽtiarum uolumine: miraculis etiam fulget Et Eusebium de temporibus: Laertium de Philosophis: Ptolomeum de orbis situ: peregrina lingua conditos: per Florentinorum ora: Palmerii: Ambroxii: Iacobangeli latinos hodie legimus: Paulus Geometer in Astrologia tantus fuit: ut q̄ mirabile dictu sidera & occultos celi meatus manu sua compositis figuris: omnibus palam intelligendos proponeret. Tadeus ob raram in medicis experientiam uelut alter Esculapius: quinquaginta aureos diurnam mercedem pacisci solitus: ab Honorio Pontifice egrotante centenos in diem: & hoc amplius: restituta illi ualitudine decem milia dono consecutus est. huius sunt Hippocratis Aphorismi & prenostica: & Galleni Microtechni: huius de seruanda sanitate liber & ad uarias uali-

tudines multa consilia mortalibus opitulātur. Gratianus patria eadem decretorum libros accuratissime collegit. Quid Colucium Salutatum refero? sue etatis hominibus eloquentia prudentiaque mirabilem? Quid Nicolaum nicoli in erudiendis iuuenibus alterum Palemonē? Quid Andream floccum edito de magistratibus opere conspicuum? Quid Titum strocciumꝫ i scribendis elegis Tibullo Propertioque parem? Quid Donatum Acciarolum Aristotelicam Ciceronisque doctrinam toto pectore oreque referentem? Nonne hos omnes Florentia summa laude dignissimos ciues peperit? Viuentes pretereo & quos hodie in utraque lingua dissertissimos non ignoramus. per quos fit ut iterum attica Gymnasia: Romanorumque fora pariter. illic reuiuiscant. Eugenius Pōtifex quartus cum christianum orientem: Romane ecclesie discordem emendare cupere et sedem in qua tantum concilium celebraretur: Florentiam unam ex omnibus equam putauit: ubi Ioannes Paleologus Imperator Constantinopolitanus: ubi Patriarche: Cardinales: ubi totius Grecie ac Latii maximi Principes conuenirent. & de summis rebus disputaretur: unde Armeni & Ethiopes ex diuerso sole profecti: in suas quisque domos remeantes: Catholice fidei documenta ex Florentia retulerunt. An memorem? que pro dignitate illius urbis maxime etiam commemoranda forent (Sed singula ingens opus desiderant) Lithostrata uiarū: marmoreas domos: Theatra: Turres: Portic⁹: Tēpla: Fontes: & nemora in domib⁹ sacros imitā

tia lucos:& ea que dum in miraculis legimus. Pyramides.
persides columnas:obeliscos:Polycleti aut Phidie statu-
as ac imagines:quomodo ex uniuerso orbe terrarum om-
nia in unam Florentiam confluxerint admiramur. Quom
hec ita sint. & uiris omni uirtutum laude eminentissimis
ea patria semper floruerit. Auxit tamen in primis hanc fe-
licitatem Medica domus:Ne singulos dicere cogar. Quo
tempore Barnabos potentissimus Mediolanensium domi
nus:Ethruriam ualidissimis exercitibus premebat: quom
oppidum scarperia a quindeci milibus armatorum obsi-
deretur:& auxilium a Florentia dudum expectaret: nec
cuiquam id possibile uideretur:Ioannes Medices Hercu-
lei animi iuuenis cum centum electis militibus:dum per
occulta multitudo maior irrepsisset. ipse per medios ho-
stes ingressus uiam ferro aperuit: & compluribus ex ad
uersariis interfectis: cum undique atra cedes fieret: ad
destinatum locum uictor aciem intromisit: uiginti tamen
ex suis eo conflictu desideratis:quo memorabili facto op-
pidum obsidione liberatum est:Ipse cum germano Silue-
stro a republica magnopere laudati:& equestrem digni-
tatem consecuti sunt. Bernadectus cui patria commiserat
exercitum:uelut alter Fabius: Nicolaum Piccininum in
armis alterum Annibalem agro Tudertino pugnas exar-
dentem:tamdiu in mora tenuit:quo ad impotem uoti Tu
scia cedere coegerit. de quo non minus illud quam de
Fabio dici potest. unus homo nobis cuntando restituit
rem. Cosmus totius Europe ciues:opum affluentia:huma

nitate: prudentia: liberalitate: superauit. Cosmi petrus pa-
terne magnitudinis uerus imitator ac heres: multo uberio
rem illam in Laurentiũ filium profudit. Seu maiestatẽ igi
tur reipublice Florentine splendoremq; requiras: Medica
domus presertim attulit. restituit: cõfirmauit. seu religio-
sas edes: immaniaq; tẽpla suspicis: Medica domus pleraq;
ea propriis impensis extrui curauit. Seu bibliothecas innu
meris operibus insignes legis: eas tibi docenda posteritas
si nescis. Medica domus proposuit. Seu mercatores nũ-
mosos: equites domi forisq; claros intueris: hos alumnos:
hos conciues suos: Medica domus pro uiribus omnes ex-
tulit: fouit: ornauit: Quot pauperes assidue? quot uiduas
quot pupillos aluit: induit? protexit? Quot uirginibus
dotes castissimas contulit? Nullum denique benificen-
tie genus publice aut priuatim in quempiam omisit: Na-
ta medica domus ad patrie sue subsidium: Nata ad totius
Ethrurie communem salutem ac ornamentum. Proxime
uero in hoc Laurentio omnes animi corporisque uirtu-
tes & quantas in paucissimis extitisse satis constat: De
quo ut de Carthagine ait historicus: Satius erat silere:
quam pauca loqui: & quis est profecto tam barbarus.
tam a nostro hoc climate remotus: ad cuius aures Lau-
rentii medice fama non penetrauerit? quantum in toga
mitis? quantum omnibus expositus ac affabilis: ut in pe-
riculo fortis & manu promptus: ut bonorum confugium
ac certissimum columen: sic uitiorum idem acerrimus
insectator erat: seditionum inimicus ac propulsator erat:

pacis italice assiduus conciliator erat. Hic igenia premiis allicíebat: hic Oratores: Poetas: Philosophos: Musicos: Pictores: omnes deniq; i quibus aliquod uirtutis specimẽ elucescere cerneret: muneribus: honoribus cõtinuis ad se uocabat. atque adeo hec bonarum artium studia: non solum ipse in aliis mirari: sed emulari: omnia preclarissimo quodam animi instinctu: ac euincere contendebat. seu de diuinis sermo esset: qui plurimus illi consueuerat: reconditissimos e sacra scriptura sensus eliciebat: seu historia recenseretur: omnis antiquitatis exempla memoria complectebatur. Epistolas ad amicos: orationes: carmina: elegantissimo stilo componebat. in quibus & si pro modestia multis se concedere fateretur: accipientium tamen consensu: priscos illos excellentes adequabat: Testes extant ad uarios illius luculentissime lucubrationes: quin aderat uolenti multa extemporanea facultas: pronuntiabat suauissime: electis adeo uerbis grece latineque: & scribebat & loquebatur: ut qui cum illo uersarentur: his artibus expoliti: proximum cuilibet attico romanoque ueteri iudicarent. Sonos & cantus: iuuenilia magis studia: & equos flectere: & iaculari: quanquam hec in Achille: Alexandro: Epaminunda: Marcho laudata sciret: & ipse etatis flexu iam itermisisset: tamen egregie recordabatur: & in domesticis suis approbabat. In Senatu uero quom de arduis ac dubiis rebus ageretur: subtiliter proponebat: facunde ac uehementer dicebat: facile cuique persuadebat. Quid nũc animi magnitudinem in aduersis

atque constantiam? quid in illa ueteri pacciorum factione Quid in bellis ultro citroque per Italiam cum populo Florentino gestis: prouidẽtiam: celeritatem: audaciam: securitatem: Quid ad bonum commune semper propensam ac prope diuinam naturam memorem? notiora sunt hec quam ut mea multum enarratione indigeant. quanta erga patriam sua pietas: quanta ne aliquid aduersum subiret euigilantia semper linceis oculis non solum presentia subtili mentis acumine intelligere: sed etiam futura tãquam ab excelsa specula prospicere: & uenturis suorum incommodis precauere solebat. O importuna mors: o non tantum Tuscie ipsi: uerum toti etiam Italie merito magis magisque condolenda. plura de hoc dicere uolentem interrumpit dolor: humaneque fragilitatis memoria perturbat. I nunc forme: uiribus: I nunc generi: diuitiis confide. Heu quam nihil in terris solidum: quam nihil in quo conquiescere debeas: nisi fragile ac momentaneum. En tibi ante oculos pone Laurentium Medicem paulo ante per uniuersum orbem terrarum fama cognitum: etate florentem: uix dum etenim quadragintatres annos excesserat: nobilitate: opibus: gratia: affluentem: summo dei uicario etiam affinitate iunctum. Inuictissimo nostro Cesari Ferdinãdo egregia charũ: Magnanimo Calabrie duci apprime familiarẽ: aliis Italie principibus ob eius incredibiles uirtutes admirabilẽ: prole Beatũ: i summo rerũ fastigio degentẽ: patrem patrie: amorẽ ac delitias iure uocitatũ: & tamẽ nec inuictissimi Cesaris Ferdinandi illũ amici

cia uerendaqꝫ Maiestas: nec summi Pontificis diua in terris supremaqꝫ potestas: nec tua Magnanime Calabrū dux heroica excelsaqꝫ strenuitas. nec orbis uniuersi quātalibet beniuolentia: de mortis manibus eripuerunt. quo pompa? quo mundi fastus? heu q̄ subito omnia hec euanescunt. quid nunc tēnuis ille spiritus amplius ex hoc uite perbreui curriculo: preterq̄ conscientiam comitem: & uillicationis sue coram deo reddendam rationē secum abstulit? cetera illa in terris tam multa: & tā preclara relicta: abeuntē cuncta deseruerunt. o fallaces hominū spes: o fragilem fortunam. o inanes cogitationes nostras: quid sumus aut quidnā supbi īflamur? en modo terris ut Iuuenalis ait īperitans sarcophago contentus erit: mors sola fatetur quantula sunt hominū corpuscula. Recte igitur diuia sentētia mortales nos admonet Vigilate atque estote parati: quia nescitis diem neque horam: quanto prestantior hec uox q̄ illa Theophrasti inutilis conquestio. qui moriens incusasse naturam dicitur: quod ea cornicibus ac ceruis: quorum nihil interesset uiuere: longissimam uitam concessisset. homini uero animantium excellentissimo: celestium etiam capaci tam breuibus terminis uite spacium conclusisset. Q uid hic sibi uult Theophrastus: nisi nature repugnare & more gigantum etiam cum deo preliari? Melius Plato: Philosophiam nihil aliud q̄ mortis meditationē interpretatur: ac nemo inquit Arpinas parum diu uixisse putandus est: qui preclare uite preclaro functus est munere. neque ego per superos quemquā esse puto qui se malit Argan-

toniū esse quā ex duobus Alexandris alterū: uel syrū: uel macedonē: quanq̄ Argātonius Tartesiorꝝ princeps centū quiquagita annos sine ulla corporis noxa uixisse tradatur Alexādrorū autē uita multo breuior sed benefactis longe illustrior claret. nō enī in etate sed in moribus est gloria. qua de re etiā non minus prudenter q̄ facunde Pontanus noster in dissertionibus suis: omnium animantium inquit excellentiam non ex longeuitate uerum ex nature sue bonitate solere commendari. Quorsum hec Magnanime dux Alfonse: quanuis Laurentii mortem ut pro amico decet molestissime feras. hec tamen memoria serenitatem tuam consolari potest: illum ita semper uixisse: ut quocunq; tempore necessitas obueniret: matura illi tempestiuaque non acerba mors contigisse uideretur: sicq; nobis anteacta illius integerrima persuadent: non mortuum esse Laurentium: sed ex hac misera hominum conditione: que potius mors uocanda sit: ad meliorem sempiternamque patriam transmigrasse. addo si quod in humanis tempus est in quo discedere hominē a uita non offendere sed prope delectare debeat: tunc etenim asserunt sapientes pulcherrimum esse mori: quando maxime delectat uiuere. In hoc ipsum tempus Laurentius inciderat: immo peruenerat. in quo omnia illi aderant que alios quidem ad uitam: ipsum uero ex morte ad meliorem locū exhortari ac inuitare possent mens bona: prospera ualitudo: ampla facultas: excellens doctrina: uiridis etas: integre uires: perspectus erga se patrie & orbis totius amor: Reipublice sue felicissima quies.

undiq; pax:undiq;:cum exteris gẽtibus ſumma tranquilli tas:familia honeſtiſſima. Tres nati quorum primus anno rum uiginti cuilibet publico muneri ſatis idoneus.iam ui ces patris implet.eiuſdemq; locum feliciter occupat: Al ter ſexdecim agẽs annos:maximo titulo Cardinalis inſigni tus eſt. Tertius luſtra duo ſuperans quanta puer ĩdole ſur git?in quibus uelut uberrimis tribus fontibus medice do mus ſapientia:morum ſuauitas:doctrina:ceſariana libera litas:que precipua eſt illi domui:omnis deniq; uirtus redũ dat.Hec & complura alia.beatiſſimam Laurentio uitam: nec acerbam mortem reddiderunt Quid q; genus mortis leuiſſimum fuit?non enim diuturna ualitudine uexatus lõ gos morbi cruciatus ſenſit:ſed pauliſper infirmior:aduo cato medico:ſumptis tamen prius (ut ſepiſſime ſolebat) chriſtiano ritu ſacramentis.quaſi ab ipſo deo e terris de improuiſo ſit ad celum euocatus:lecto acquieſcens :nullo uiolentiori motu:aut ſigno dato :ueluti ſuauiſſimo ſom no eleuatus eſt.O placidiſſimum genus mortis:o licet ul timum terribillium appellent:quam tamen huic lenitati quietem anteponas :non facile inuenies . Credo equidem illum dum ſe morientem agnoſceret nec loqui ſubita cor poris debilitate permitteretur:uigilanti ſane ſpiritu in pri mis animam deo:deinde patriam preceteris rebus chariſ ſimam tum filios ac domum commendaſſe.Nec dubitan dum eſt quin ex omnibus Europe principibus quos ille excolebat:ſpem ſummam in diuo Ceſare Ferdinando ac in tua Magnanime dux Maieſtate conſtituerit . ſic enim

egregia illius erga Aragoneam domum benemerita: fides amor: integritas: cognita uirtus: Sic rursus erga illā Rem publicam: uestra sublimis benignitas postulant ac persua dent. Non dicendus est igitur mortuus Laurētius sed ma gis ille uiuit: sed in pectoribus uestris uiget: ac recētior in dies memoria illius apud posteros uigebit: neque adeo pa rata est in generosis superstitum mentibus defunctorum obliuio. Non tamen ut arbitror ille uestro luctu gaudet: non dolorem uestrum efflagitat: sed memoriam sed amo rem & erga suos cōciues natosq; subsidiū ac fauorē: Hec petit hec a uobis iustissime impetrat. Quin mitissimā il lius uocem haurire uideor hisce uersibus nos adhortan tem: Quid mea lugentes turbatis funera? an illis Qui be ne uixerunt creditis esse malum? Desinite a lachrymis me liori nunc ego uita Fungor: Et eterni perfruor ore dei. Et hec actenus. Voluissem equidem Magnanime dux ad hoc tempus duo mihi precipue dari: primū tantū ingenii eloquentieq;: ut Augustissimo cōspectui tuo satisfacere potuissem. deinde id omne ad uiuētis Laurētii potius lau dē q̄ ad funebrē mortui querimoniā conuertere. Sed cum casus ita acciderit: & isti altissime parendum fuerit uolun tati: Tuam primum Serenissime Dux clemētiam imploro deinde o Florentia Maiestas. o Medica domus & o uos Laurentii pientissimi manes obtestor. imbecillitati mee ue niam date. si meritis uestris ac tāte sublimitati nequaq̄ par oratio mea respōdere potuerit. nā quid agam? ubi conat^9 meos ipsa rerū excellentia longe submouet ac uincit. dicā

Propertianum illud. quod si deficiant uires audacia certe laus erit in magnis & uoluisse sat est.

Vis medice ueros Laurenti pingere mores
　Ante tue mentis lumina pone Titum
Sic erat: hunc quanuis Florentia libera ciuem
　Illum appellarit subdita Roma ducem
Ast animus: probitas: etas: mors: gloria uite
　Par fuit: & patrem patria utrunque uocat.
Felix dum similes Florentia cernet alumnos
　Felix: nam semper uiuere salua potest.

Obiit Aurelius iste anno
1496.

R.R. XVI.

Copinger 780
Reichling IV. 128

E. L.